

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XXXIV. Ampliatio facultatis conferendi gradus in Collegiis S. Fidei, &
Quiten. Societ. Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](#)

Decretum
præd. quo
prohibetur
venditoribus
aperire no-
vas Tonstrin-
nas ante bien-
num, & intra
spacium 200.
cannarum.

Preces Uni-
versitatis.

Confirmatio
relati De-
creti.

Clausulae.

dem sub specie Balnei, seu Stufæ, revera tamen non nisi ad ea, quæ Barbitonorum sunt, inibi exercenda aperiri, atque illuc Tonstrinarum a se venditarum Adventores abduci; Consules prædicti præmissis consideratis, quod via dolis, & fraudibus hujusmodi in posterum obstruantur, vigore facultatis sibi ad id per speciale Rescriptum Nostrum attributæ, una cum nonnullis, aliis ejusdem Universitatis Officialibus, novissime statuerunt, sive decreverunt, ut de cetero suarum Tonstrinarum Venditoribus novas Tabernas Tonforias, etiam sub specie Balnei, seu Stufæ nonnisi post duos annos a die, quo suas Tonstrinas prædictas vendiderint, aperire liceat, ita ut pro tempore existentes Consules dictæ Universitatis Tabernas illas, quæ contra statuti, seu Decreti prædicti formam aperte fuerint, claudi facere valeant; ipsis tamen suarum Tonstrinarum hujusmodi Venditoribus unam ex Tabernis Tonforis antiquis, quæ a Tonstrina vendita intervallo ducentarum saltæ Cannarum mensura Romana distet, emere minime prohibutum intelligatur.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungetur, dicti Exponentes statutum, seu Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis Nostra patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & peccatis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latissima, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, statutum, seu Decretum prædictum a supradictis Consulibus factum, ut præsertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui defuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandcumque spectabat in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Universitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, ac de verbo ad verbum expressis, & infertis habentes, illis alias in suo labore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contraria quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXV. Sept. MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Tertio.

Declaratur, & ampliatur Clem. X. Constitutione pro Collegiis S. Fidei & Quietæ Societatis Jesu in Indiis Occident. de conferendis, tanquam in Universitate, Doctoris, Licentiatæ, & Magistrorum gradibus.

Constit. ed. 1693, Septemb. 1. P. 3. concessa fuit facultas conferendi gradus in quacunque arte, & disciplina.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 28. Sept.
1693. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

A Lias fe. re. Clementi PP. X. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Rectorum Collegiorum Civitatum Quietæ, & Sanctæ Fidei novi Regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Societatis Jesu, ac Præfectorum studiorum earumdem Civitatum exposito, quod cum in Regnis Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico subjectis una ex qualitatibus quas habere debebat, qui volebat per concursum obtainere Canoniciatum, & Præbendam Doctoralem, vel Magisterialem Cathedralium Ecclesiasticorum dictorum Regnum, hæc esset, quod lauream Doctoratus, Licentiatæ, vel Magisterii accepisset in aliqua studiorum Universitate, vel in Collegio Sancti Clementis Bononiensis per bo. me. Aegidium Albernotum, dum vixit S. R. E. Cardinalem fundato, prout in literis re. me. Sixti IV. & Leonis X. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter Notorum desuper emanatis, uberioris dicebatur contineri: In dicto autem novo Regno Granatensi nulla adesset Universitas studiorum, tam Sacrorum Canonum, & Juris Civilis, quam Theologiae, & propinquior Universitas esset in Civitate Limana Regni Peruani, quæ per quingentas a Sanctæ Fidei, & per trecentas a Quietensi Civitatis præfatis leucas respectiva distabat. Et dilecti quidem filii Clerici Regulares dictæ Societatis in eisdem Civitatibus Quietæ, & Sanctæ Fidei artes, & Theologiam docerent, ac Præfectos Studiorum ibidem vigore facultatis a piæ me. Gregorio PP. XIII. etiam Prædecessori Nostro per quasdam suas literas incipiunt. *Quanta in vinea Domini*, Anno Incarnationis Dominicæ 1578. nonis Maji emanatas concessæ promoveret ad gradus Philosophiae, & Theologiae, ac lauream Doctoris, Licentiatæ, & Magistrorum quibuscumque in Scholis dictorum Collegiorum studentibus conferret; verum dicti studentes a præfato Præfecto studiorum, ita graduati, & laureati si vellent concurrent ad Canoniciatum, & Præbendas Doctorales, vel Magistrorum supradictarum Cathedralium Ecclesiasticorum oppositionum haberent, sub praetextu, quod non essent juxta dictas Sixti, & Leonis Prædecessorum literas in Universitatibus, vel in dicto Collegio Sancti Clementis Bononiensis, Graduati, & alii concurrentes idecirco illos a concursu excludent, tentarent: inde siebat, ne studentes dicti novi Regni Granaten. quo gradibus hujusmodi decorarentur, longum iter ad memoratam Universitatem Limanam Civitatibus prædictis, ut præfetur propinquiore suscipere, magnisque sumptus facere, ac etiam multis maris, terræque periculis se se exponere cogerentur. Et in eadem expositione subiuncto, quod prædictus Leo Prædecessor supradictas Sixti Prædecessoris literas, quæ ad graduatos in Universitatibus studiorum restrictæ erant, ad graduatos in dicto Collegio Sancti Clementis Bononiensis extenderat, dicti vero Rectores Collegiorum, & Præfectori studiorum earumdem Civitatum eadem literas ad graduatos in dictis Collegiis Quietensi, & Sanctæ Fidei pariter extendi plurimum deside-

Causa Con-
stitutionis
Clem. X. qua
graduati in
dd. Collegiis
centur tanquam
graduati in Uni-
versitatibus.

XXXIV.

desiderabant, quo in his Collegiis laureati, & graduati ad Canonicatus, & Præbendas Doctorales, & Magistrales prædictos concurrere valerent. Idem Clemens Prædecessor supplicationibus dictorum Rectorum, & Prælectorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, auctoritate Apostolica indulxit, & declaravit, ut laureati in prædictis Collegiis Societatis Jesu, donec aliqua publica Universitas proximior ereta fuisset, ac si in publicis Universitatibus censerentur laureati, ideoque capaces ad obtinenda quæcumque Beneficia hujusmodi gradum publica Universitas ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, & Sancti Concilii Tridentini requirentia redderentur, & alias prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 30. Maii 1674. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberior continetur.

Causa d. de-
clarationis,
& amplia-
tionis.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii moderni Rectores, & Præfecti studiorum Sanctæ Fidei, & Quiten. Collegiorum prædicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, præfata Clementis Prædecessoris literæ ad eos, qui in artibus, five Philosophia, & Sacra Theologia dumtaxat Doctoris, Licentiati, & Magistri gradus in supradictis Collegiis suscepint, refricte videantur revera tamen in iisdem Collegiis gradus hujusmodi non modo Philosophia, & Theologia prædictis, sed etiam in aliis omnibus scientiis, quæ inibi edocentur, ac præsentim in Decretis, five Sacris Canonibus ex novissimo hujus Sanctæ Sedis Indulto conferantur. Nobis propterea iudicem Exponentes humiliter supplicari fecerint, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Su-
riorum Col-
legiorum.

§. 2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latiss., si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censemtes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicta auctoritate tenore præsentium declaramus, Indultum a memorato Clemente Prædecessore concessum, ut prefetur intelligendum esse etiam de iis, quibus in Collegiis prædictis iudicem gradus in Decretis, seu Sacris Canonibus supradictis collari fuerint. Et nihilominus quatenus opus sit idem Indultum ad eos, qui inibi dictos gradus etiam in Decretis, five Sacris Canonibus hujusmodi, sicut præmittitur, suscepint, servata tamen ceteroqui prædictarum Clementis Prædecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

Declaratio-
nem ad alios gra-
duis.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palati Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac iri, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate sceleriter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, neconon omnibus, & singulis illis, qua in supradictis Clementis Prædecessoris literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici sub-

scriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, que ipsis præsentibus haberetur si forent exhibita, vel offensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Sept. MDCXCII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatur Decretum Congregationis particula-
ris super nonnullis dubiis a Fratribus Tertiis Or-
dinis S. Francisci propositis.

XXXV.

*De observantia Constitutionum quoad Laicos, & Ob-
latos vide Iun. XI. Cons. ed. 1688. Mar. 13. P. 12.
Et de electione Ministrorum Provincialis Clement. XI.
Consit. ed. 1708. Aug. 9. P. 8.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 10. Oct.
1693. An. 3.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Causa Fratrum Tertiis Ordinis Sancti Francisci a Nobis deputata, emanavit super quibusdam Dubiis in eadem Congregatione propositis Decretum tenoris, qui sequitur videlicet - In Causa Tertiis Ordinis Sancti Francisci, propositis infra scriptis Dubiis, videlicet.

Decretum d.
Congrega-
tions.

Primo. An juxta alias disposita in Constitu-
tione sa. mem. Pauli III. de anno 1549. servanda
sit Alternativa in electione Generalis.

Dubias

Secundo. An decernendum sit etiam absentem a Capitulo posse eligi in Generalem.

Tertio. An prohibendum sit, ne quis gradum asecutus eligi possit in Generalem, vel Procuratore Generalem.

Quarto. An Procurator Generalis eligendus sit a Patre Generali, vel a Capitulo.

Quinto. An prohibendum sit ne proxime futurum Capitulum Generale celebretur Bononiae.

Sexto. An prohibendum sit, ne Pater Ge-
neralis Titulum Provincialis conferat Religiosis simplicibus.

Septimo. An prohibendum sit, ne Pater Ge-
neralis depuet Commissarios Generales ad tempus indefinitum, & ad omnes causas.

Octavo. An prohibendum sit, ne in Congre-
gationibus Generalibus, vel Capitulis Intermediis
fiant novæ Constitutiones, aut Decreta, prout
prætenditur, factum fuisse in præteritum, etiam contra Constitutiones Ordinis.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Re-
verendissimorum DD. Cardinalium Cybo, de
Carpino, Casanate, de Norfolcio, de Laurea,
& Panciatici a Sanctissimo D. Nostro particulariter deputata, & Partibus ore, & scriptis infor-
mantibus respondit.

Resolu-
tiones.

Ad Primum. Deinceps non posse, nisi post duo Capitula Generalia, seu post duo sexennia eligi Generalem ex illa Provincia, ex qua fuerit Generalis Antecessor immediatus, quæ tamen prohibito minime intelligatur de Procuratore Generali, qui etiam intra dictum tempus ex præfata Provincia eligi possit.

Ad Secundum. Quemlibet Religiosum, licet a Capitulo absentem, sed ceteroquin prædictum omnibus qualitatibus per Constitutiones Ordinis requiritis posse eligi in Generalem.

Ad Tertium. Attento novo Privilegio Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. conferendi Doctoratus, & Magisterii Lauream, tam eligen-
dum in Generalem quam in Provinciale debere esse Magistrum.